Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 477
Quelle:
Copyright:

p. 319. et *Steph. Evod. Assemanus* in *Prolegom. T. I.* Opp. *Ephr.* edit. *Rom. supracit.*

CCLXXI.

R. 3089 Codex membraneus lat. Sec. XII. et XIII. Folior. 70. 4. maj. prioribus partibus elegantius scriptus, rubricis, et loco suo multis Schematibus illustratus, olimque *Pomerij Montis*, seu *Baumgartenbergae* Ord. *Cist.* initium ita ducit: *Incipit liber effrem diaconi de conpunctione cordis.* Pia hujus *Syri* Opuscula, qui post Sec. IV. medium inclaruit, mature Occidenti versionis ope cognita fuisse, vel Codex hic *Vincentio Bellovac.* qui eorum quaedam commemorat, vetustior evincit. Non igitur *Ambrosius Camaldul.* cujus versiones *Florentiae* 1481. bellissime *f. min.* impressae mihi adjacent, primus interpres fuit. Splendida Operum omnium *Ephraemi* Editio *Romana* cum graeco-tum syrolatina est, de qua dixi Cod. praeced. ad quam exegi Codicem. Liber, cujus titulum jam dedi, incipiens: *Dolor me compellit hęc edicere* &c. ibi T. I. p. 40. inscribitur *Sermo Asceticus*, atque indivisus decurrit; nobis vero *fol.* 19. *Explicit liber primus. Incipit secundus* ab his verbis: *Uenite karissimi. uenite patres et fratres* &c. quae non habentur in Editis, sed eorum loco post asterisscum: *Sobrii igitur simus et vigilemus* &c.

Fol. 23. p. 2. *De iudicio dei et resurrectione et de regno celorum et mundicia anime.* Initium: *Gloria omnipotenti Deo qui os nostrum superno nutu aperuit.* Ut Edit. T. III. p. 553.

Fol. 27. p. 2. *De beatitudine anime.* Initium: *Beatus, qui odio habuerit hunc mundum* &c. T. I. p. 292. hi Μακαρισμοι inscribuntur *Beatitudines aliae.*

Fol. 30. *De penitentia.* Initium: *Dominus noster Ihesus Christus qui descendit de sinu patris* &c. Ut T. I. p. 148.

Fol. 33. *De luctaminibus.* Initium: *In luctaminibus huius seculi nullus sine agone* &c. Ut T. III. p. 557.

Fol. 36. p. 2. *De die iudicii.* Initium: *Uenite dilectissimi fratres. exhortationem meam suscipite. et semper mementote* &c. Ut T. II. p. 50. Atque de hactenus adlatis nemo in jus vocabit *Ephraemum.* Alia sequentium est ratio.

Fol. 40. p. 2. *Ammonitio per quam docemur ut cogitationes turpes debeamus fugere. et eas quę sanctę sunt cum dei adiutorio in corde seruare.* Initium: *In scripturis sanctis fratres karissimi legimus. quia eos qui de animę salute solliciti sunt cogitatio sancta custodiat* &c. Unum aliquem e Sermonibus ad *Eremitas Augustino* subpositis legere te putes. Interim *Trithemii* tempore Ephraemo tribuebatur, ut vides *de Scriptt. eccl. n.* 78. Ignorarunt id *Mauriani*, qui T. V. *Augustini Append. col.* 525. ad *Caesarium* referunt.

Fol. 42. p. 2. *Ammonitio per quam suadetur ut omnis populus donec diuina mysteria celebrantur in ecclesia expectet.* Initium: *Rogo vos fratres karissimi et paterna*

pietate